

percilia eorum ita sopiunt. Quocirca sepe quoque viatores meridie agentes jugalia animalia hoc faciunt canentes, itineris molestiam illis canticis consolantes. Nec solum viatores, sed etiam agricolæ, uvas in torculari calcantes, vindemiantes, & vites colentes, & quodcunque aliud opus facientes, sepe cantant. Nautæ quoque remos impellentes hoc faciunt. Jam vero mulieres quoque texentes, & confusa stamina radio discernentes, sepe quidem, & pro se singule, unam quandam melodiam concinunt. Hoc autem faciunt & mulieres, & viatores, & agricolæ, & nautæ, laborem, qui ex opere faciendo suscipitur, cantu consolari volentes, utpote quod anima, si carmina & canticum audierint, molesta & difficilia sit facilius toleratura. Quoniam ergo hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum & familiare; ne demones lasciva meretricia cantica introducentes omnia everterent, Psalmos DEVS construxit, ut ex eare simul caperetur voluptas, & utilitas. (c) Veteres igitur, etiam manibus operantes, cantu leniebant, & solabantur, laborem.

§. II. Postea publicis etiam institutis, seu læta essent, seu tristia, seu profana, seu sacra, adhiberi cœperunt. Lycurgus, duræ difficilisque naturæ, Musicae tamen studium, maxime in epulis publicis, (*συσσίτια* Lacones nominabant,) legibus commendavit. Ludi quoque scenici nunquam fiebant sine carminibus & modis. MACROBIUS observat, plurimas nationes sanxisse, mortuos ad sepulturam cum cantu prosequi oportere, quod persuasæ essent, animas post mortem ad originem dulcedinis musicæ, hoc est cœlum, redire. (d)

§. III. Quæ utut omnia cum ratione congruere videantur, procul dubio tamen etiam a Patriarchis, ante
B dilu-

(c) Chrysof. in Ps. XLI. Tom. III. OO. ed. Francof. f. 146.

(d) L. II. de Somnio Scip. p. m. 106.